

*missime cum Ecclesia sentio, in utero accepisse, ut Sancta prodiret. Sanctus Bonaventura in Tertium Sententiarum dist. 3. quæst. 3. art. 1. Pro indubitanter hoc habet Ecclesia, videlicet quod Beata Virgo fuerit in utero sanctificata; Et illud ex hoc patet, quod ejus Nativitatem Ecclesia celebrat; quod non faceret, nisi sanctificata esset. Idem habet Angelicus Doctor Tertia Parte, quæst. 27.; art. 1., & 2.: cujus verba citavi alio in loco. Ex quibus omnibus constat, hoc persuasum fuisse veteri Ecclesie, & Sanctis Patribus, non celebrari ab Ecclesia universa, nisi quod verum, & sanctum est. Cumque hac generali propositione doctrinæ Catholicæ singularis illa contineatur, *Conceptio Virginis sancta fuit*, eam ipsam negare erit erroneum. Quod si auctor est locuples Cardinalis Gottus, hoc ex judicio erroneo procedere, nimirum quod Ecclesia universalis proponat *B. Virginem sub titulo falso colendam*, non dubitabo sub ejus auspiciis prædicare, eum, qui negat immunitatem Deiparæ, in magno errore versari, ejusque judicium merito erroneum esse appellandum.*

Peccant igitur, inquit, qui sic errant in religionis negotio. Non eos dico peccare, modo absit pertinacia, seque patiantur dedoceri. Atque illis equidem malam mentem inesse puto, sed ipsi tamen adjunctum animum bonum: & *bonus animus* (quod ait Comicus ille) *in mala re dimidium est mali*. Nunc autem errorem in religionis negotio e rebus ipsis significatis perpendimus, nulla errantium habita ratione: & quam opinionem Alexandri decreto hæreticam dicere prohibemur, hanc vocabulo temperato erroneam esse, dicique posse contendimus. Hæc quoniam magna res est, ac diligenti contemplatione dignissima, mihi nunc alia via, latiore quidem, ac regia cum plerisque Theologis gradiendum. Altius itaque repeto ex principiis Theologiæ, Catholicam fidem, licet non immediate, sed versari tamen circa eas conclusiones, quas ordine disciplinæ colligimus ex articulis fidei, ac trito vocabulo Theologicas appellamus. Sunt autem articuli fidei, quos Deus Ecclesie suæ aut verbo edidit,

aut